

Charta venditionis Urbis Treptoe, Abbati Belbogensi,
à Wartislao Pomeraniae Duce, facta. 1242.

Wartislaus, Dei Gratia, Dux Sclavorum, omnibus hanc paginam in-
specturis tam presenti quam futuram gaudere in perpetuum prosperi-
tate. Quoniam in Contractibus, quos perpetuari oportet, ex processu
temporum solet quandoq; ambiguitas onerosa evenire, necesse est, ut
super his instrumenta publica conficiantur, per quae et dubietas ab-
solvatur, et modus contractuum et voluntas contrahentium perpetuo de-
claratur. Universitati itaq; tam presentium, quam eorum qui post
modum sunt futuri, notum facere cupientes, presenti paginam de-
claramus, quod venerabili viro Abbati in Belboch et suis sequa-
cibus vicum Trebetonem cum tabarna et villam in Stresco-
et Cricur, et aquam liberam usq; ad portum maris et medie-
tatem piscature principalis et tractus stagni pro centum mar-
cis argenti, vendimus, omnia sibi iura, quae ibi habuimus re-
linquentes, absq; ulla diminutione terminorum sive aquarum
vel agrorum, quae usq; huc predictus vicus noveritur habuisse,
absolvertes etiam omnes ibi manentes, ab omni, quam Domi-
ni terre facere consueverant in antea exactione. Statuentes
etiam, ut si quando nimiam necessitate nos urgente, nobis ad ex-
peditionem homines illius vicii, ad defensionem videlicet terre
nostrae, nobis fuerint necessarii, pro eo ad Dominum Abbatem
dicti loci, non ad alium recurratur, nec ad hoc vel ad edificati-
onem Castri alicuius infra terram nostram per coactionem
quam compellantur, sed in voluntate sit Abbatis, quot ad hoc
negotium transmittantur, spondentes etiam ipsi, ut si quis di-
cti loci Abbatem in predicta proprietate tentaverit molestare,
vel pretextu alicuius dominij impedire, nos eum in tali
impeditio

impeditione absq^{ue} loci sui damno vel gravamine) abolvere. Si
verò talis nostri contractus, rationabiliter de nostra volunta-
te et consuetudine factus, alicui postmodum in dubium veni-
at, hunc instrumento per nos dato, testium robore qui pre-
sentes fuerunt, duximus roborandum. Testes autem huius
rei sunt Dux Barnim, Paulus Prepositus Colbergensis, Ja-
cobus Dapifer, Sloyslaw Castellanus, Natsimarus Sarda,
Iohannes de Appeldorne, et Fridericus Milites. Datum in
Lamnin annò gratiæ MCCXLII. in Vigilia Jacobi Apo-
stoli 9. Kalendas Augusti. —